

Nolite timere eos qui occidunt corpus.

✠ Lécitio sancti Evangélii
secúndum Matthæum

10, 26-33

In illo témpore: Dixit Iesus apóstolis suis:

- ²⁶ «**N**e timuérítis hómines.
Nihil enim est opértum,
quod non revelábitur;
et occúltum, quod non sciétur.
- ²⁷ Quod dico vobis in ténebris,
dícite in lúmine;
et quod in aure audítis,
prædicáte super tecta.
- ²⁸ Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus,
ánimam autem non possunt occídere;
sed pótius eum timéte,
qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénna.
- ²⁹ Nonne duo pásseres asse véneunt?
Et unus ex illis non cadet super terram
sine Patre vestro.
- ³⁰ Vestri autem et capílli cápítis
omnes numeráti sunt.
- ³¹ Nolíte ergo timére;
multis passéribus melióres estis vos.
- ³² Omnis ergo qui confitébitur me coram homínibus,
confitébor et ego coram Patre meo,
qui est in cælis;
- ³³ qui autem negáverit me coram homínibus,
negábo et ego eum coram Patre meo,
qui est in cælis».

Verbum Dómini.